



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis, Et Breviarii Romani.**

In quibus origo cuiusque Ritus, causae historicae, vel mysticae, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, obligatio, & exquisitus vsus, additis opportune Decretis omnibus S. Rituum Congreg. quàm breuissimè explicantur.

**Gavanti, Bartolommeo**

**Venetiis, 1647**

De Simplici. 4.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9521**

lia Titulari, seu ubi asseruatur insignis Reliquia. & non alibi. Quæ verò sit insignis Reliquia, eadem Sacra Congregatio declarauit statim, & nos descripsimus in primo t. p. 1. tit. 11. circa finem. addidit pœnam eadem Sacra Congregatio ibid. nimirum, quod aliter non sit satis recitandi diuini Officij; & consequenter infligitur pœna non faciendi à clero fructus suos beneficiorum, præter lethale peccatum; quod committitur, eadem Sacra Congregatio declarauit, comprehendendi in dicto Decreto Ecclesias Abbatiales die 28. Septembris 1628.

6 De priuilegijs festi, seu Officij semiduplicis agemus infra in pluribus locis.

## De Simplici. Cap. I V.

1 **D**Vrandus loc. cit. usurpat hanc vocem: Simplex. Antea vocabant Officium trium lectionum, *Microl. cap. 44. & Radulph. propos. 17.*

2 Festa verò simplicia, quibus in Calendario nihil apponitur, superant hodie centenarium numerum, de quibus agemus singillatim in proprio Sanctorum.

3 Qui numerus centenarius, quàm rectè cõgruat, accipe ex Sancto Bernardo, & Radulpho. Numerositas Festiuitatum, inquit Bernardus ad Canon. Lugdun. ciues decet, non exules. Radulphus autem *propos. cit.* addit sumendam esse nimirum proportionem à Christo, qui duodecim elegit Apostolos, quos posuit in superiori gradu; in inferiori verò posuit septuaginta duos Discipulos, hoc est, sexies duodecim Vnus est Christus, cui datur Officium Dominicæ; Apostoli duodecim sunt ergo & Festa Sanctorum solemnia in minori numero esse debent, quàm numerus Dominicarum, simplicia plura esse debent (cum quibus stat recitatio Psalterij) sicuti à Christo multiplicantur Discipuli. Duplicia Sanctorum (non loquor de Duplicibus Christi Festis) in Calendario Romano sunt num. sexaginta quatuor, Sanctorum semiduplicia ad quadraginta conuenit ergo, vt simplicia

excedant, vt fit, numerum centesimum.

4 Incipit à Vesperis quidem, sed feriabilibus, & terminatur Officium simplex ad Nonam. *Microl. c. 44. & Radulph. propos. 18.*

## De Dominica. Cap. V.

1 **D**E Officio Dominicæ *Microl. c. 62.* hæc habet memoranda. In omni Dominica ecclesiastico conuentui cum Officio Dominicæ satisfacimus, nisi aliqua multum celebris (nota) festiuitas occurrat. Addo ego, ratione Dominicæ quædam officia festiuiora fieri, vt videre est in Festo Innocentium, & in vigilia Natiuitatis Domini, quibus datur, *alleluia, Te Deum,* respectiue cum consequentibus.

2 De Dominicis Aduentus, & à Septuagesima vsque ad Octauam Pasche, quæ sunt maioris reuerentiæ, & cultus, testatur *Radulph. propos. 15.* eas nunquam omitti; quod & hodie obseruamus.

3 Dominicæ infra Octauas Natiuitatis: ex *Microl. cap. 37.* Epiphaniæ, ex eodem *cap. 41.* Ascensionis Domini, ex eodem *cap. 37.* & Corporis Christi ex *Vrbano IV.* sunt priuilegiatæ, ita vt Officium non sit Dominicale, sed de Octaua, & de Domino tamen ratio est, ex *Microl.* vt officium instanti celebritati concorder, hoc est, summæ celebritati Domini, nam in Dominicis alijs infra Octauas Sanctorum non est æquum, vt Officium Dominicale, quod Domini est, cedat Officio Sancti, cuius dies infra Octauam celebratur. Addi potest alia ratio pro Dominicis infra Octauas Natiuitatis, & Epiphaniæ, quia scilicet vt plurimum illa Natiuitatis celebratur extra diem Dominicum, & hæc Epiphaniæ celebratur aliquando in Sabbato, Extra verò diem ipsum Dominicum non dicuntur congruè Psalmi de Dominica eidem diei præcisè Assignati.

4 Queritur; cur à Natiuitate Domini vsque ad Epiphaniam inclusiue dantur Dominicæ, in quibus nulla prorsus contingit fieri de iisdem commemoratio, vnde & in Calendarijs dicuntur Vacan-